Joannes Tuneys scripsit libros aliquot de re grammatica, quorum multa exemplaria impressa ibidem extant. Fuit Augustinianus & provincialis per aliquot annos sui ordinis. Obiit autem circiter primos Henrici 8ⁱ. Joannis Baleus, si recte memini, significavit mihi, se vidisse epistolam, Græce scriptam ab hoc Tuneio.

Pag. 54. *Ex catalogo libelli de nominibus sociorum collegii Gualteri Merton, canonici Sarum, & postea Rosensis episcopi.*

Socii tempore Edwardi primi.

Richardus Walingford, postea abbas S. Albani.

Bakon. Leland. Alius erat à Rog: Bacon Francif. qui obiit ante inchoatum collegium.

Burley doctor in Theologia & profundus philosophus.

Joannes Gattifden doctor in medicinis, qui fecit Rosam medicinæ.

Henr:

Henr: Gower, episcopus Menevensis. [Obiit 1347. 22. E. 3.]

Galfridus Kilminton, Dr. Theologiæ, plura scripsit.

Joannes Wendon, postea abbas in monasterio de Ofeney.
Lelandus.

Hæc nomina mihi videntur parum congruere temporibus Edwardi 1.

Socii tempore Edwardi 2.

Bradwardine, Dr. profundus, nominabatur per papam.

Chelton fundavit cistam C. marcharum in universitate canonicus Wellensis.

Dumbleton nobilis philosophus fuit, & summam fatis subtilem fecit in philosophia naturali.

Dns Dr. subtilis ordinis Minorum.

Greene, postea Prior in monasterio Wigornia.

Mandut, bonus astronomus, qui tabulas in astronomia composuit & medicina.

Gilbertus Peccham, archiepiscopus Cantuar: Dr. Theologiæ. Sanctus fuit in vita, & plurima miracula fecit post mortem.

Robertus Winchelsey Dr. fuit Theologiæ, & archiepiscopus Cantuar:

Simon Islep, archiepiscopus Cantuar. & Dr. Theologiæ.

Socii tempore Edwardi 3.

Affchinden profundus astronomus fuit, & summam nobiliff: in eadem scientia composuit: & medicus.

Billingham tabulam quandam philosophiæ & Logiciæ laboriosissime composuit, quam ad librariam dedit communem.

Berton, Dr. in Theologia, & cancellarius Oxon. qui excommunicavit Wiclif.

Simon Bredon plures libros collegio dedit, & postquam in 7. liberalibus scientiis fuerat expeditus, doctor in medicinis effectus est Oxon: & Trifolium in medicina composuit.

Mepham Dr. in Theologia, & archiepiscopus Cantuar:

Organ nobilis philosophus fuit.

Gul. Reede istam librariam fieri fecit, & libris instaurari. Dedit & centum libras pro cista communi constituenda. Episcopus fuit Cicestrensis, & nobilis astronomus, qui & tabulas astronomicas compilavit. Fuit etiam Dr. Theologiæ.

Wikford, Dr. utriusque juris, & archiepiscopus Dublin: Pag. 29.

Suinifhed, subtilis logicus & philosophus, & subtiliff: libros in philosophia fecit.

Radulphus Stroode nobilis poëta fuit, & versificavit librum elegiacum, vocatum phantasma Radulphi.

Wiclif, Dr. in Theologia, nec erat socius istius domus, nec annum probationis habuit plenarie in eadem.

Williot, Dr. in Theologia, & cancellarius Exoniensis, fecit exhibitionem puerorum in aula Portionistarum.

Socii tempore Richardi 2.

Brit nobilis astronomus fuit, qui fecit Theoricam omnium planetarum.

J. Chilmarke nobilis philosophus fuit, & tractatum de accidentiis elementorum subtilissime compilavit.

Colnet regius medicus fuit.

Kempe episcopus London: & postea Cantuar:

Rudborne turrim supra portam collegii ædificavit, custos collegii fuit, & capellanus Henrici 4. postea episcopus Menevensis.

Wymildon famosiss: prædicator in toto regno Angliæ.

Socii tempore Henrici 4.

Thomas Dunkam medicus comitis Marchiæ.

Joan: Elys doctor in medicinis.

Mr. Nicolaus Punt determinavit contra opiniones Wiclif contra Richardum episcopum Lincoln: fundatorem collegii. Lincoln:

Socii tempore Henrici 5.

Henricus Seuer, Dr. Theologiæ, eleemosinarius regis, & custos collegii, reparavit, auxit, & consummavit opera collegii,

Joannes Snetisham, Dr. in Theologia.

Socii tempore Henrici 6.

Chedworth episcopus Lincoln:

Killingworth astronomus multas tabulas composuit.

Billefdon nobilis medicus.

Hart astronomus.

Curtoyse astronomus & medicus.

Thomas Bloxham, Dr. medic.

Marshaul, Dr. Theolog: episcopus Land:

Joannes Mertok medicus.

Socii tempore Edwardi 4ⁱ.

Joannes Stacy insignis astronomus.

Lelandus.

Joannes Stacy prodicionis accusatus fuit, & suspensus apud Tyburne.

Cui in astronomia eo tempore æqualis, aut potius excellentior, fuit capellanus hujus domus nomine Blake.

Lelandus.

Blake obiit Stanfordiæ.

Richardus Fizjames episcopus Rofensis, deinde Cicestrensis, postremo London:

Thomas Kent astronomus.

Socii tempore Henrici 7ⁱ.

Joannes Chaumbre, Dr. medicinæ, a decanus S. Stephani.

Philippus Densseus astronomus & medicus.

a Decani MS.

Joannes

Joannes Blisse astronomus & medicus.

Gul: Lorimer medicus.

Georgius Owen medicus.

Gualterus Bokeler.

Lelandus.

Tempore Edwardi 4. Thomas Thorleby, Dr. medicinæ & insignis astronomus, diverfabatur Oxon. in cœnobio de Ofeney, ut à Thoma Gryneo didici.

Radingiæ apud Franciscanos.

Pag. 56.

Beda de naturis bestiarum.

Alexander Necham super Marcianum Capellam.

Alexandri Necham Mythologicon.

Joannis Waleys commentarii super Mythologicon Fulgentii.

Abbingdune.

Abbingdune, i. e. oppidum abbatis, ante conditum ibidem cœnobium Seukesham vocabatur.

Cissa primus fundator Abbandunensis monasterii, quod postea auxit privilegiis, & aliquot villulis. Dani tamen cœnobium destruxerunt. Edgarus tandem reparavit.

Ubi nunc templum est Abbanduni D. Helenæ sacrum, tempore Inæ regis erant velatæ virgines.

Andresey insula adjacet Abboduno.

In bibliotheca Abbodunensi.

Berengaudius super Apocalypsin.] *Solomon inspiratus divino spiritu.*

Meditationes Goduini, Cantoris Salesbiriæ, ad Ramildam reclusam.] *Hæc sunt prima documenta novæ legis.*

Carmen Josephi Britanni, sed imperfectum, de bello Antiocheno, quod Christiani contra Saracenos gesserunt a tempore Richardi primi, Anglorum regis.] *Christicolæ acies.*

In bibliotheca Canonorum de Ofney.

Vita S. Hieronymi per Thomam Gascoyne, sacræ Theologiæ professorem, scripta Latine & eleganter.

Vita S. Frediswidæ.

Vita Odonis, natione Daci, archiepiscopi Cantuar:

Vita S. Wenefridæ per Robertum, Priorem Salapiensis monaster: ad Guarinum, Priorem Wigorniensem.] *In occidua parte.*

Lincolniensis de cessatione legalium.] *Fuerunt plurimi.*

Chronicon Ivonis.

Imago Salvatoris, quæ est apud Waltham, inventa fuit in monte, qui vocatur Lothegaresbrich, tempore Canuti, cog. fortis.

TOM. III.

a Sic.

H

Oxonia

In libro Palei de Baccalauris Carmel: ordinis, erat mentio de Thoma Gascoyne, baccalaurio Oxon: sed is ait, Carmelitam hominem fuisse non magnæ eruditionis.

Oxonia in bibliotheca publica.

Chilwardbe super 8. partes orationis.] *Quoniam studium Gram:*

Epistolæ Hereberti, Secretarii Thomæ martyris.

Bacon de cœlo & mundo, cujus primi quaterniones excisi.

Summa philosophiæ Roberti Lincolnensis.] *Philosophantes*

¶ *famofi.* Leyland. In quo libro tractat de formis, de luce, decoloribus, de iride, de cometis, de utilitate liberalium artium.

Compendium Scientiarum, eodem autore. Sed liber excisus.

Panegyrica oratio Porphyrii and Constantinum, furto sublata.

Pag. 57: Eulogium historiarum Angliæ.

Hampole super Pfalterium.

Whethamsted

Granarium, ingens volumen, Joannes de loco frumenti, abbatis S. Albani, ad Humfredum, ducem Glocestriæ, de viris illustribus.

Ex Granario ejusdem.

Gualterus, abbas Morganensis, scripsit librum de avibus &

animalibus carmine.] *Dicitur accipiter.*

Gualterus Gallicus scripsit gesta Alexandri Magni carmine.] *Gesta ducis Macedum.*

Gualterus Anglicus scripsit librum de arte dictandi ad Innocentium 3. Pontif. Ro.

Joannes Havillensis, qui Architrenium

scripsit, composuit libellum de arte dictandi.

Radulphus est (si recte memini) ibidem, qui vitam scripsit S. Albani carmine plane docto & eleganti.

Apuleius de asino aureo, sublatus.

Flavius de re militari, excisus.

Claudianus poeta.

Tragœdiæ Senecæ.

Commentarii Joannis de Seravala, epif-

copi Firmani, ordinis Minorum, Latine

scripti, super opera Dantis Aligerii, ad

Nicolaum Bubwice, Bathon: & Wellen-

fem episcopum, & D. Robertum Halam,

episcopum Sarisbur: Commentarii editi sunt tempore Constantiensis consilii.

Metamorphosis Ovidii Gallice.

Cato Cenforius, sublatus.

Opera Ciceronis.

Epistolæ Nicolai de Clamenge, cantoris Baiocensis, ad Carolum 6. Franc: regem.

Duodecim libr: epistolarum Petri Candidi, sublati.

Aphorismi Damasceni.

Concordantiæ librorum Senecæ.

Humfredus filius, frater & patruus regum, dux Glocestriæ comes Penbrochiæ, & summus Angliæ cubicularius.

Alicubi etiam adscribit sibi nomen Pocitenentis in Anglia. Prorex.

Humfredus multoties scripsit in frontispiciis librorum suorum, Moun bien mondain.

Humfredus, dux Glocestriæ, multos codices, pulcherrime pictos, ab abbatibus dono accepit.

Cary super libros Posteriorum.
 Epistola Lincoln: de formis ad magistrum Adamum.
 Idem de luce, de coloribus, de utilitate artium liberalium,
 de iride, de cometis.
 Compendium scientiarum ejusdem.
 Joannes canonicus ordinis Minorum super libr: Physicorum.
 Tabula Byllingham, justum volumen.
 Algazel de Logicalibus.
 Gundefalvius de anima.
 Commentarii Reyneri de S. Trudo in libr: Boëtii de consolatione Philosophiæ.
 a Autosichus de sphæra mota.
 Esculeus de ascensionibus.
 Jordanus de triangulis.

Apud Carmelitas Oxonii.

Tractatus venenosus Gulielmi de S. Amando contra fratres Mendicantes.

Uidsford contra 18. conclusiones Wiclivi.

Ejusdem tres determinationes.

Lavingham doctor super 8. libros Physicorum.] *Ne sit tardisum legentibus.*

{ Quolibeta Walsingham Carmel:

{ Quæstiones ordinariæ ejusdem.

{ Robertus Walsingham doctor super Sententias.

Greystone doctor, monachus Dunelmensis super Sententias.

Candidi Arriani libellus ad Victorinum.

Bacanthorp super libros Augustini de civitate dei.] *Intentio Augustini.*

Uualensis Moniloquium.

Hyrenæi, episcopi Lugdunensis, libri quinque contra omnes hæreses.

Doctrinale antiquitatum ecclesiæ Thomæ Uualden, duo magna volumina.

Apud Prædicatores.

Pag. 58.

Scutum, Bedæ liber falso adscriptus.

Frater Rowel super libros Sententiarum.

Judocus

Thomas Joys cardinalis titulo S. Sabinæ sepultus in choro.

Ricardus Fyzaker sepultus juxta occidentalem murum ecclesiæ.

In bibliotheca collegii de Mereton.

Rabanus super actus apostolorum.

Tabulæ astronomicæ Joannis Killingworth.] *Multum conferre dinoscitur.* Leyland. Hic videtur fuisse vir magni ingenii.

Rogerus Bacon de septem experimentis, furto sublati.

a L. Autolychus.

H 2

Li-

Libellus Rogeri Bacon de secretis.] *Interrogationi tua.*
 Epistola Rogeri Baconis instar libelli ad Clementem pa-
 pam.] *Sanctissimo patri.*

Bacon de utilitate sciendi diversas linguas.] *Multa præ-
 clara radices.*

Bacon de scientia perspectiva.] *Cupiens te & alios.*

Bacon de fluxu & refluxu maris Britannici.] *Visis effectibus.*

Bacon de utilitate astronomiæ.] *Post locorum descriptionem.*

Connotationes de locis ubi Sancti requiescunt in Anglia,
 incerto autore.

☞ Apud Franciscanos sunt telæ aranearum in bibli-
 otheca, præterea tineæ & blattæ, amplius, quicquid
 alii jactent, nihil, si spectes eruditos libros. Nam
 ego, invitis fratribus omnibus, curiose bibliothecæ
 forulos omnes excussi.

In bibliotheca collegii Balliolensis.

Visus est
 mihi ista ex
 Plinio de-
 cerpsisse.

Joannis Freæ Londinensis liber de Cosmographia, in quo
 tractat etiam de naturis arborum, plantarum, spectierum quo-
 que diversorum animalium. Leyland. Fuit hic Freas quon-
 dam socius collegii Balliolensis Oxonii, & postea Patavii
 doctor medicinæ tactus. Liber sic incipit,] *Mundus, & hoc
 quod alio nomine cælum.*

Contuli hunc librum cum
 impresso exemplari, & fere
 conveniebant, ita tamen ut
 impressus codex quandoque
 haberet quæ in scripto codice
 desiderabantur. Quare jam
 fere in hac opinione sum, ut
 putem, Phraem non fuisse in-
 terpretem, sed Pogium.

Sex libri Diodori Siculi, à Freæ Lati-
 nitate donati. Præfatio sic incipit,]
*Nullus ante hac quantumvis præclarus
 rerum scriptor.* Scriptus erat hic liber
 1465. Adscriptum recentiori manu &
 barbariori in margine primæ paginae,
 quod Paulus papa propter translationem
 sibi dedicatam Ficam episcopatu Ba-
 thoniæ donaverat, quod cum accepisset,
 supervixit mensem unum & obiit
 Romæ, nondum consecratus. Sunt ta-

men qui Diodorum Latine loquentem Poggio Florentino ac-
 ceptum ferunt. Translatio sic incipit, *Magnas merito gratias.*
 Adscripta porro & hæc verba erant in margine rudioribus
 literis: "Joannes Freas olim fuit rector S. Michaëlis in
 " monte in villa Bristollia, sed obiit in Italia."

Freas etiam studebat juri civili.

Pag. 59.

Homeri Batrachomyomachia per Carolum, ut arbitror, Are-
 tinum traducta carmine.

Maphæi Vegii 4or. libri de vellere aureo, carmine.] *Egre-
 gium canere Æsonidem.*

Ejusdem Astianax carmine.] *Musa refer quæ caussa metum.*

Orto-

ANTIQUARIUM COLLECTANEA.

Joannis Tortellii

- Ortographia Joannis de Aricio, longe elegantiss: volumen.
 Orationes Guarini.
 Epistolæ ejusdem.
 Commentarii Gasparini super epistolas Senecæ.
 Sermones Laurentii abbatis.
 Thomas Anglicus super libros August: de civitate dei.
 Dooking super Lucam, super epistolas Pauli, & super Esaiam.
 Holcot super 12. prophetas.
 Capgrave super actus apostolorum ad Gulielmum, Elyensem episcopum.] *Hic incipit.*
 Odo super Pfalterium.
 Similitudinarius Gulielmi de montibus, canonici Lincolniensis.
 Ockamus super Sententias.
 Episcopi cujusdam Carleolensis de componendis epistolis libellus.
 Philobiblon Richardi, Dunelmensis episcopi.
 Petrus Hispanus de aquis.
 Aristæus ad Philocratem de interpretatione LXXII. interpretum, Matthia Palmerio Pisano interprete. ..
 Commentarii in Salustium, incerto autore.
 Gasparinus de elocutione, doctus libellus.
 Commentarii Historici in Lucanum. Historicus docuit Grammaticam Beneventi & Imolæ.
 Timæus Locrensis de mundi fabrica interprete Gregorio Castellano ad Nicolaum quintum, pontif: Ro:
 Crito Platonis. Acciochus Platonis. Plato de cultu deorum.
 Epistolæ Bruti Græcæ scriptæ, & à quodam Mythridate collectæ, interprete Latino incerto.
 Epistola Aboris ad Phalarim Latina facta.
 Epistola Pythagoræ ad Geronem.
 Epistola Lysæ ad Hipparchum.
 Epistola Hippocratis ad Democritum.
 Epistola Diogenis.
 Lucianus de venditione animarum.
 Gasparinus Pergamensis de compositione orationis, Exemplares epistolæ ejusdem.
 Familiæ epistolæ ejusdem.
 De coloribus, de ortographia, eodem, ut arbitror, autore.
 Festus Pompeius de vocabulorum significatione.
 Mapphæus Vegius de verborum significatione, & elegantia juris consultorum.
 Gul. Alvernensis de bono & malo.

Mr. Twaytys, decanus de Akeland, & Mr. collegii Balliolensis, opt. libros bibliothecæ dedit.

- Novem libri epistolarum Leonardi Aretini.
- Pag. 60. Guarinus, vel, ut aliter inscribitur, Poggius de nobilitate.
Epistolæ Francisci Petrarchæ.
Victorinus in Rhetoricam Cicer:
Georgius Trapezontius super oratione Cicer: pro Q. Ligario.
Funcbris oratio Lysæ pro his Atheniensibus, qui Corinthiis
adversum Lacedæmonios auxilium ferentes interiere, inter-
prete Francisco Philelpha ad Pallantem Strozam.
Dion Chryostomus Prusensis quod ficta fuit Ilii captivitas,
interprete Philelpho, ad Leonardum Aretinum.
Opera Ciceronis.
Commentarii super Rhetoricam Cicer. & super eundem de
amicitia & senectute.
Vicentinus super aliquot orationes Cicer:
ni
Commentarii Gaspari in omnes epistolas Senecæ.
Quintiliani institutiones oratoriæ.
Declamationes ejusdem.
Valerius Max: cum commentariis Dionysii de Burgo.
Quinque volumina fontis memorabilium Dominici de
Aricio.
Richardus Bellus aut a Bel-
lus, archidiaconus Eliensis, & so-
cious Balliolensis, dedit mul-
tos libros bibliothecæ,
Prognosticon Juliani Pomerii.
Lectura Snetisham, doctoris Theo-
logiæ, fuit cancel: Oxon: circa annum
D, 1412.
Vincencius Beluacensis de institutione
puerorum.
Petrus Candidus de dignitatibus Romanorum.
Rationarium vitæ Joannis de Ravenna.
Rogerus de Waltham, canonicus Londoniarum, de dictis
& factis memorabilibus antiquorum; quo libro videtur, ex-
emplis ex infinito pelago Græcorum & Latinorum autorum
petitis, velle rempub. & regem quam optime instituere. Me-
minit Joannis regis tanquam recentis exempli; attamen non
dum satis cognitum habeo quo tempore vixerit. Scripsit pro
tempore stylo & eleganti & erudito.
Descriptio Italiæ, autore Blundo.
Libri S. Pauli, monachi Cassinensis, de gestis Romanorum.
Jordanis, episcopi Ravennatis, liber ad Vigilium de rebus
Romanis à Romulo ad tempora Justiniani. Scripsit alterum
de rebus Geticis ad Castalium.
Gulielmi Malmesbiriensis abbreviatio ex libris Haymonis,
monachi Floriacensis, de imperatoribus à Justiniano ad tem-
pora Caroli Mag.
Oratio Guarini Veronensis in laudem rectorum.
Oratio Francisci Barbari.

Opera Lectantii.

Apologeticus Tertulliani de ignorantia Jesu Christi.

Armacani de paupertate Salvatoris libri 7.

Armacani de quaestionibus Armenorum libri 19.

Distinctiones Joannis Bromyardi, fratris Prædic.

Summa Simonis Langton de poenitentia Magdalenæ, quæ Hic libellus, si recte memini, à quibusdam Stephano Langton Cantuar: attribuitur.

Acta consilii Basiliensis.

Sacræ conciones in Basiliensi consilio pronuntiatæ.

Sermones Bertrandi super epistolas Pauli.

Expositio Bedæ de nominibus urbium & locorum quæ in actibus apostolorum leguntur.

Robertus, Prior S. Frediswidæ, de connubio Jacob ad Laurentium monachum. Robertus Canutus.

Beda super parabolas Salomonis.

Sermones S. Ephrem, abbatis, è Græco translati per Ambrosium, monachum Florentinum, & Cosmo Medici dedicati.

Pag. 61.
Antonius Marius filius librarius præter alios multa exemplaria Florentiæ pro Gul. Grayo scripsit.

Sermones Joannis Scholastici monachi, eodem interprete, ad Matthæum, abbatem suum.

Opera Dionysii Areopagitæ, Ambrosio monacho interprete.

Didimus de spiritu sancto, interprete Hieronymo.

Sermo Petri Damieni de vitio linguæ.

Petrus Damienus de spirituali certamine.

Epitome Dindimi in philosophiam.

Deploratio virginitatis male amissæ, autore Anshelmo.

Joannes, abbas de Forda, super extremam partem Cantuæ, & sic complevit opus S. Bernardi.

Wallensis de doctrina cordis.

Symbolum fidei per Capgrave Augustinianum ad Gul. Eliaensem episcopum.

Balduinus, archiepiscopus Cantuar: de sacramento altaris.

Hampole super duos primos versiculos Cantorum.

Idem super hoc textu: "Oleum effusum nomen tuum."

Idem in tractatum: "Judica me domine."

Idem super hoc textu: "Adolescentulæ dilexerunt te nimis."

Tractatus ejusdem qui incipit,] *Ne tardas.*

Tractatus ejusdem qui incipit,] *Domine deus meus.*

Tractatus ejusdem qui incipit,] *Parce mihi domine.*

Augustinus de Ancona, frater Augusti: super epistolas canonicas & Apocalypsin.

Opera Joachimi abbatis super Hieremiam, de seminio Scripturarum, de prophetia ignota, de ultimis tribulationibus, expositio super Cyrillum, de provincialibus præfagiis, de Concordia, in Apocalypsin, in Psalterium. Ste-

Stephanus Cantuar: super Ecclesiasticum.
 Rabanus super Paralipomena Hester & Judith.
 Gorham super Matthæum & Lucam.
 Moralitates Roberti Grostest super 4. Evangelia.
 Joannes Capgrave, fr. Augusti: super actus Apostolorum ad
 Gul: episcopum Eliensem.
 Epistolæ Roberti Lincoln:
 Odo super Pfalterium.
 Lincolnensis de veritatibus.
 Gerson de pollutione nocturna.
 Petrus de Auriola super 2. libr: Sentent:
 Petrus de Candia super Sentent:
 Gerardus de Senis super 1. Sentent:
 Jacobus de Viterbio super 3. libr: Sentent:
 Okam super Sententias.
 Fizaker super Sentent:
 Gregorius de Arimino super Sentent:
 Bonaventura super Sentent.
 Petrus Tarentasius super Sentent:
 Summa Roberti Lincolnensis in totam philosophiam, cujus
 primus tractatus est de primis philosophis à tempore Noe
 usque ad Cyrum, regem Persarum.
 Lincolnensis super 8. libros Physicorum. Est quiddam
 compendiosum.
 Andreas Antonius super Metaphys: Aristot:
 Bukfeld super Metaphys: Aristot:
 Burley super libros Ethicorum Aristotelis

Pag. 62.

Expositio fratris Bercaldi ordinis Prædic: super elementa-
 tione Theologica Procli.

Libelluli
omnes.

Burley de formis, de sensibus, de divisione entis, de toto
 & parte, de finito & infinito, de duobus principiis, de tri-
 bus in toto universo per se agentibus, de qualitatibus, de
 divisione potentie in activam & passivam, de * definitione
 & modo definiendi, de relativis, de abstractis, de memo-
 ria & reminiscencia, de longitudine & brevitate vitæ.

Libri 3. Alexandri ordinis Minorum de anima ad Philip-
 pum de Melduno tanquam commentaria in libros Aristotelis
 de anima.

Bacon de utilitate astronomiæ.] *Superius quidem dictum est
 quod 1022. sunt stellæ fixæ, quarum quantitates possunt apprehendi
 per instrumenta astronomiæ.*

Albertus de origine animæ.

De nominibus librorum astronomiæ qui stant cum fide &
 non.

Bacon super libros Physicorum. Sic incipit,] *Postquam
 tradidi*

* Sic.

Tradidi Grammaticam secundum linguas diversas, prout valet sermo, necessaria sunt studio Latinorum & Logicalia. Cum his expediui, atque in secundo volumine tractavi partes Mathematicæ, nunc in 3. occurrunt naturalia: in 4. Metaphysica cum moralibus subjungentur.

Aphorismi Urfonis.

Ethica & Politica Aristotelis, interprete Leonardo Aretino ad Martinum 5.

Oeconomica Aristotelis, eodem interprete ad Cosmum.

Commentaria Eustachii, Metropolitanani Niceæ, in Ethica Aristot:

Epistolæ Platonis, interprete Leonardo Aretino.

Libri cœlestis Politix Platonis, interprete P.

Candido ad Humfredum ducem Glocestrensem.

Burleus super 8. libros Physicorum.

Quæstiones M^r. Joannis Sharp de anima.

Whelpedale de aggregatis.

Idem de compositione continui ex non quantis.

Universalia ejusdem.

Prædicamenta Magi. Ro: Alington.

Sex principia Mylverley.

Canonicus super libros Physicorum.

Dedicus super libros Physic:

Avicenna de inventione scientiarum.

Burley super Porphyrium, super Prædicamenta, super 6. principia, super librum Perihermen. super libros Poster: super

libr: de sensu & sensato. Idem de universalibus, de potentia animæ, de somno & vigilia. Idem super libros Topicorum. Idem super libros de generatione & corruptione.

Quæstiones Roberti Cary super libros Posteriorum, editæ anno D. 1325.

Ysagoge Aretini.

Commentarium rerum Græcarum ad Angelum nobilem equitem, autore Leonardo Aretino.

Lucinus de amicitia.

De contentione præsentix Alexandri, Hannibalis, & Scipionis coram Minoë, rege inferorum, Aurispa equite, ut arbitror, interprete.

Triumphus Genuensium adversus regem Arragonum.

Leonardus Aretinus de origine urbis Mantuæ.

Tres orationes, nempe Ulyssis, Achillis, & Phœnicis, ex Homero per Aretinum desumptæ, non ad verbum, sed ad sensum. Genus dicendi in

Pag. 63.

Versus Jo: Lincoln: de seipso:

Stirpe parum clarus, magis
 aptus, quam bene doctus;
 Fraudis inexpertus, facto ser-
 moneque verus.

Joannes Lincolnienfis mul-
 tos libros bibl: dedit.

Basilii opusculum, interprete Aretino.
 Tyrannus Xenophontis dialogus, co-
 dem interprete.

Oratiuncula Leonardi Aretini ad
 Martinum S. pont: Ro:

Testimonia gentilium conferentia rel-
 ligioni Christianæ, autore Rogero Ba-
 con.] Quoniam occasione cujusdam ser-
 monis.

Bucolica Boccata continentia 16. eglogas.

Boccatus de Certaldo de casibus illustrium virorum.

Boccatus de claris mulieribus.

Epistolæ Petri de Vineis.

Boccatus de genealogia deorum.

Victoris historia de persecutione Aphrycana.

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarchæ.

Epitaph:
 Francisci
 Petrarchæ.

Suscipe virgo parens animam, fate virgine parce.

Fessaque jam terris cœli requiescat in arce.

Commentarii super utramque Rhetoricam Ciceronis.

Opera Ciceronis.

Commentaria 11. belli Punici, autore Leonardo Aretino.

Tragœdiæ Senecæ.

Exempla Senecæ.

Penbikil super divisionem entis in Prædicamento.

Askox Oxon: super 1. & 2. libr: Sentent:

Brichemon super libr: dialectices Aristotelis.

Kilwardby de divisione Scientiarum.

Suinished quæstionista.

Disputationes contra tres articulos Hussitarum.

Summa Bromyardi, fratris prædicatoris, ingens volumen,
 & diversum à distinctionibus ejusdem.

Defensorium ecclesiasticæ potestatis ad Urbanum 6.

Augustinus de Ancona de summa potestate ecclesiastica.

Petrus de palude de ecclesiastica potestate.

Q. Curtius de vita Alexandri Mag. furto sublati.

Distinctiones Michaëlis Meldensis super Psalterium.

Tacuinus de conservatione sanitatis.

Oribasius de simplici medicina.

Barptolemæus Facius de vitæ felicitate.

Maphæus Vegius de felicitate & miseria.

Ejusdem libellus de injuriis veritati illatis.

Disputatio & judicium inter Stoicum & Epicureum.

Cintius interpres Plutarchi de vitio & virtute.

Apologia Socratis, Leonardo Aretino interprete.

Epistolæ

Epistolæ Sidonii Apollinaris.

Epistolæ Symmachi.

Undecim libri rerum senilium Petrarchi.

Collutius Pierius Salutatus de fato & fortuna.

Epistolæ Lini Collutii Salutati, quondam cancellarii Florent:

Collutii Pierii Salutati tractatus ad Antonium de Branffaldis, ut medici studeant eloquentiæ.

Idem an verecundia sit virtus an vitium?

Epistolæ Lini Collutii Salutati de Stignano.

Epistolæ Leonardi Aretini.

Orationes ejusdem.

Gul. Warham socius fuit Novi colleg.

Ex indice cujusdam librarii.

Ternarium Odonis.

Petrus, Prior S. Trinitatis Londini, de reparatione lapsus, justum volumen.

Sarisburyæ apud Prædicatores.

Pag. 64.

Quolibeta Nicolai Triveri.

Leo papa de conflictu vitiorum & virtutum.

Historia Britannica mediocri carmine scripta à Bruto ad Caduualadrum, incerto autore, sed qui secutus est Galfredum Monemutensem.

Cernelium, [sive Cerne, com. Dorset.]

Pag 65.

^a
Ex fundatione Ailmeri, comitis Cornubiæ, tempore Ædgaris regis. sepultus est Egneshami prope Oxonium.

Ex veteri Codice.

Athelbaldus & Ailbertus reges, filii Atulphi, sepulti Shireburniæ ab Alchstano episcopo, eorum propinquo.

Fons S. Augustini Cernelii.

Ante novam fundationem Cernelii tantum erat trium monachorum cœnobiolum, ubi nunc est parochialis ecclesia de Cernel.

Ex libello de vita S. Edwoldi, fratris S. Edmundi martyris.

Eaduualdus duxit vitam heremiticam in provincia Dorcestensi, prope fontem cog: argenteum.

Almarus, comes Cornubiæ, cum Dunstano transfulere reliquias Eadwoldi ad veterem ecclesiam Cerneliensem, ubi nunc parochialis ecclesia.

Canutus, spoliato monasterio Cerneliensi, contulit se ad Portum, Frommutham nomine, occidentalis Angliæ.

Inde navigantes ad Brunkefeiam, hoc est, ad Brunci insulam. Bronchi.

Leyland.

Bruchus.

Brunci insula ad duo milliaria distat à Pola, & oceano circumdatur. Nulla ædificia habet præter facellum.

Gainsbam Canonici.

Gulielmus, Præcentor Meldunensis, de miraculis D. Mariæ.

Gulielmus Meld: de gestis pontificum Anglorum.

Osberti Cantuar: liber de vita S. Ælphegi.

Vita Aldhelmi, eodem, ut arbitror, autore.

Brightstow apud Augustinianos canonicos.

Chronicon Ivonis.

Topica Ciceronis.

Pag. 66.

In bibliotheca cœnobii de Batayle.

Glosæ Odonis, abbatis de Bello, super Pfalterium.

Clemens, Prior Lantonensis, de spiritualibus alis & pennis Cherubin.

Chronicon Jordanis, episcopi Ravennacensis, integrum. Præfiguntur historiæ nomina autorum, quorum testimoniis usus est. Et in fine operis recenset nomina barbararum gentium, id est, populorum Germaniæ.

Itinerarium Antonini mancum, in quo nihil de Britannia.

Mellitus quidam Aphricanus episcopus, de assumptione D. Virginis. Leylandus. In libello quædam sunt, meo iudicio, mire fabulosa.

Beda de distantia locorum ex actibus apostolorum in indice comparuit.

Martinus episcopus de 4. virtutibus cardinalibus.

^a
Epistolæ Ivonis de corpore & sanguine domini.

Gildas tantum in indice visus est.

Expositio Odonis abbatis super cap. 1. libri regum.

Sermo Stephani, archiepiscopi Cantuar. de assumptione D. Mariæ.

Sermones Richardi de Melchesham. justum volumen.

Sermones Stephani Cantuar:

Liber Chronicorum fratris Wilhelmi de la Lee.

Albini responsiones.

Albinus de proprietate sermonum.

Topographiæ Walliæ & Hiberniæ, autore Sylvestro Girardo Cambrensi.

Prophetia Hildegardis integra.

¶ Summa Michaëlis de Smaulfeld.

Lelandus.

Fuit Odo, alias Woode, vir in primis eruditus, & familiarissimus non modo Joanni Sarisbiriensi, verum etiam Thomæ Beketo, archiepiscopo Cantuar: Ex Priori ecclesiæ Christi Cantuar: factus est abbas Lellenfis monasterii, ubi in parte inferiori ecclesiæ jacet in sepulchro Lydii, sive nigri marmoris, non parvo post obitum tempore à populo pro Sancto habitus.

Abbas Bellenfis monasterii narravit mihi, vitam Odonis apud se extare scriptam.

Doctor Bourd of Pevynsey.

Michaël Tregory, è Corinia oriundus, studebat Theologiæ Oxonii. At cum Henricus, ejus appellationis quintus, Cadomi, urbe Normanniæ, academiam institueret, accersivit Tregorium, ut novo simul & præfesset & prælegeret gymnasio.

Pag. 67, 68, 69, 70. vacant.

Ex veteri codice Rosensis monasterii:

Pag. 71.

[*Fundationes monasteriorum.*]

Anno domini CLXXXVI^o. subversum est templum Apollinis, quod erat apud Westmonasterium, quod tunc Thorney vocabatur, & tunc cœpit ædificari ecclesia Sancti Petri ante adventum Anglorum in Britanniam CCLXIII^o. ante adventum Sanctorum Augustini sociorumque ejus anno CCCCXI^o. Eodem anno Britannia fidem Christi suscepit, prædicantibus illis verbum Fugatio & Damiano, missis à papa Eleutherio, regnante Lucio rege Britonum.

Ecclesia Christi Cantuariæ à Romanis fundata est, sed à beato Augustino dedicata.

Anno CCCXIII^o. basilica in honore Sci. Albani constructa x. annis post passionem ejus.

An^o. domini D.XCVI^o. servus dei Augustinus missus est Britanniam à beato papa Gregorio, ut barbaræ genti verbum dei prædicaret, anno CXLVII^o. ex quo Horsa & Hengist venerunt Britanniam, ut eam subjugarent.

Anno DCIII^o. gloriosus rex Ethelbertus Cantuariæ ecclesiam Sancti Andreæ in civitate Rosensi construxit, eamque multis possessionibus & amplis dotavit, & in eadem beatus Augustinus Justum episcopum ordinavit.

Eodem anno in civitate London ad ecclesiam Sancti Pauli, quam idem rex Ethelbertus Cantuariæ construxerat, Mellitum episcopum Augusti destinavit.

Anno domini DCVIII^o. beatus Augustinus, Dorobernensis archiepiscopus primus, diem clausit extremum, & sepultus juxta ecclesiam apostolorum Petri & Pauli, quam idem rex Ethelbertus Cantuariæ fundaverat, nec dum perfecta fuerat.

Anno DCXXVIII^o. ecclesia Eboracensis ab Fadwino rege fundata est, & Paulinus archiepiscopus primus in ea constituitur.

Anno Domini DCXXXIX^o. Paulinus, primus archiepiscopus Eboracensis, fundavit ecclesiam in Lindisse, quæ modo Lincolnia vocatur, & in ea Honorium episcopum ordinavit.

Anno domini DCXXXIII^o. beatus Felix fundavit ecclesiam de Dommoc, quæ modo Felixstow vocatur, & in ea sedit xvij^m. annis, illius provinciæ pontifex primus.

Anno

- Dorkecester.** Anno domini DCXXXV^o. beatus Birinus ecclesiam Dorkecestræ fundavit, & in ea sedit episcopus primus.
- Wyncester.** Anno domini DCXLIII^o. Kinewald, rex occidentalium Saxonum, sedem episcopalem in Wintonia fundavit, in qua Hedda pontifex primus ex Anglis fuit.
- Peterborough.** Anno domini DCLXXIII^o. Sexulfus, qui erat constructor & abbas monasterii, quod dicebatur Medeneshamstede, modo Burgus Sancti Petri, non multo post factus est episcopus Lichefeldensis.
- Cirtefey. Berkyng.** Anno DCLXXV^o. Erkenwaldus, Londonepiscopus, duo monasteria fundavit, Chertefey monachorum, & Berckinges sanctimonialium.
- Ecclesia Sancti Martini London.** Anno domini DCLXXVII^o. Britones in occidentali parte Londoni fundaverunt ecclesiam Sancti Martini in memoriam regis illorum Cadwallonis, qui viriliter Anglos debellaverat, ^a & in eadem pro eo obsequia æternaliter celebrarent divina.
- Dover.** Anno domini DCXIII^o. Withredus, rex Cantix, in villa Doveriæ in honorem Sancti Martini fabricavit, & monachos instituit, & divitiis ^b effecit.
- Anno domini DCCIII^o. Theodorus, archiepiscopus Cantuariensis, à Vitalliano papa missus Britanniam conjunctus regi Northanimbrorum Egfrido donante ei terram LX. familiarium, monasterium in honorem beati Petri ad ostium Weræ fluminis construxit. Sed & aliud monasterium ad honorem doctoris gentium Pauli in Girvium fundavit, & multipliciter curavit.
- Pag. 72. Episcopatus Winton: in duo divisus. Selesfeye.** Anno domini DCCIII^o. episcopatus Wintoniensis in duo divisus, Winton: datus est Danieli, altera, id est, Sireburnensis, Aldelmo collata est.
- Anno domini DCCXI^o. Wilfridus, Haugustaldensis episcopus, persecutionem declinans, insula de Selesfeye per quinquennium latuit, & ibi monasterium fundavit in honorem beatæ Mariæ, donante ei terram rege Australium Saxonum Ethelwoldo, quod multo post tempore successores ejus tenuerunt.
- Wigorn:** Anno DCCXII^o. Egwinus, Wigornix præsul tertius, cum rege Merciorum Kinredo, & Orientalium rege Offa, Roma veniens, monasterium Wigorniese, quod construxerunt, à papa Constantino libertatis privilegio concessio, confirmavit.
- Wymburne.** Anno domini DCCXX^o. Cuthburga, soror Inæ, regis Occidentalium Saxonum, apud Wymburne abbatiam construxit.
- Institutio monachorum ad Sanctum Albauum.** Anno domini DCCXCIII^o. Offa, rex Merciorum potentissimus, angelica admonitus visione, & cœlestis lucis ad modum facultæ super sepulchrum gloriosi protomartyris Anglorum

*a F. ut.**b F. affecit.*

Albani

Albani ^a emissæ, de loco humili & populo incognito ^b sublata, in locellum, ex auro & argento & lapidibus pretiosis fabrefactum, pii martyris reposuit pignora, & ecclesiam in honorem ipsius, quæ barbarorum incurfu fuerat destructa, reparavit, & monachos, ut ad sancti corpus deservirent, instituit, & Romam pergens, à papa Adriano canonizationem martyris prædicti & monasterii confirmationem privilegiis specialibus impetravit. Fuerat namque locus ille tempore adventus Anglorum in ^c Britannia, sicut cetera loca Britannæ penitus destructa, & solo tenus complanata. Acta sunt hæc à passione beati Martyris anno D.VII^o. ab adventu Anglorum in Britanniam anno CCCXLIII^o. Indictione prima, Kal. Aug.

Anno domini DCCXCVIII^o. dedicata est ecclesia de Winchelescumbe, quam excellentissimus Merciorum rex Kenulfus paulo ante construxerat, & monachos instituerat. Et ipsa etiam dedicationis die, in præsentia tredecim episcoporum & x. ducum, regem Cantix captivum Eabertum, cognomine Spreu, libertate donavit. Winchelescumbe.

Anno domini DCCCXVI^o. facta est secunda vastatio maxima in civitate & ecclesia beati Andreæ Rosens. Secunda vastatio Rosens ecclesie.

Anno DCCCLXVIII^o. Alkwinus, Wigornix episcopus, construxit ecclesiam de Kemesey, & ad dedicationem perduxit. Kemesey.

Anno domini DCCCLXXI^o. obiit gloriosus rex & martyr Eadmundus anno ætatis suæ XXXIX^o. regni vero sui XVI^o. XII^o. Kalen. Decembr. Indictione tertia. Quo etiam tempore constructa est in eodem loco pauperrimo opere ecclesiola, ubi corpus sanctissimi martyris per multa tempora requievit. Ecclesiola Sancti Eadmundi.

Anno domini DCCCLXXXVIII^o. rex Alfredus Westsaxonix, totius Angliæ primus monarcha, fundavit duo cœnobia, unum monachorum vocatum Etheling, alterum sanctimonialium vocatum Shaftsbiri. Etheling. Shaftsbiri.

Anno domini DCCCXCVI^o. rex Alfredus Wynton novum monasterium fundavit, in quo ipse postea traditur sepultus. Novum Monasterium, Wynton.

Anno domini DCCCXXXIX^o. rex Ethelstanus profratre suo Eadwini, quem pravo usus consilio in mari fecerat submergi, duo cœnobia, s. ^d Midelstones & Michelneiese, construi præcepit, & ea prædiis multis & possessionibus ampliavit. Midelstones. Mychelneeye.

Anno DCCCLVIII^o. rex Eadgarus apud Westmonast: ad duodecim monachos construxit cœnobium, ubi quondam ecclesia ^e beatio Petro fabricata fuerat. Pag. 73: Monachi apud Westmo: instituantur.

^a Emissio MS. ^b Sublatum MS. ^c F. Britanniam. ^d Sic, cum puncto sub s, & duobus punctis sub es. At in margine tria sub es ponuntur puncta. ^e Sic, cum puncto sub i.

- Tavistoke. Anno domini DCCCCLXI^o. comes Ordgarus, pater Alfridæ, reginæ regis Eadgari, cœnobium apud Tavistoke construxit in Devonia, & illud religiosis monachis replevit.
- Monachi ad Anno domini DCCCCLXIII^o. rex Eadgarus, expulsis clericis, vetus monasterium Wintoniæ monachis replevit.
- vetus monast: Winton: restituantur. Anno domini DCCCCLXIII^o. rex Eadgarus duo monasteria fundavit, unum Wintoniæ, & aliud in Mideltuna, & in ea monachos collocavit.
- Monachi Wigorn: expulsis clericis collocati. Anno domini DCCCCLXIX^o. rex Eadgarus, clericis expulsis, monachos in ecclesia Wigornienfi collocavit.
- 1 Monachi Exonia congregati. 2 Anno domini DCCCVIII^o. Ina, rex Occidentalium Saxonum, monasterium Glasconiese nobilissimum construxit.
- 2 Glascon: 3 Anno domini MXX^o. rex Cnuto, constructo regali monasterio cum competentibus officinis in loco, qui Bedericheworth nuncupatur, ubi rex & martyr Eadmundus incorrupto corpore diem beatæ resurrectionis expectat, & monachos in eo instituit. Cœnobium quoque illud beati regis & martyris Eadmundi tot prædiis & bonis aliis ampliavit, ut omnibus fere Angliæ monasteriis in rebus temporalibus merito præferatur.
- 3 Eadmundi monasterium. Anno domini MXXXIII^o. Herlewinus miles in fundo suo abbatiam Becci fecit, & abbas ibi primus fuit.
- Becci. Anno domini MXXIX^o. rex Eadwardus tertius, qui sanctus dicitur, monasterium Sancti Petri Westmonast: reparavit, & possessionibus & libertatibus largitus ampliavit.
- Monast: Sancti Petri Westmo: reparatum. Eodem etiam anno institutio canonicorum Sanctæ Frediswidæ.
- Monast: Frediswidæ [Oxon.] Coventre. Anno domini MLI^o. comes Leofricus cum uxore sua Godiva monasterium de Coventre construxit, & monachis impositis, terris, redditibus, & aliis variis ornamentis magnifice dotaverunt.
- Dedicatio ecclesiæ Sancti Eadmundi. Anno domini MXXXII^o. archiepiscopus Agelnothus Sancti Eadmundi in Bedericheworth monasterium honorifice constructum in veneratione dei genitricis Sanctique præfati xv. Kal. Novemb. dedicavit.
- Abbatia de Bello. Anno M.LXVII^o. rex Willielmus, conquestor Angliæ, abbatiam de Bello construxit, & monachos instituit, ut pro occisis in bello ab ipsis in perpetuum hostiæ salutis deo redderentur.
- Norwicen: Anno domini MXCIII^o. VI^o. Idus Aprilis episcopatus de Theodford translatus est in Norwicum, ibique monachorum congregationem, numero et religione percelebrem, instituit Herebertus, cognomento Lofenge, omnia eis necessaria sumptu mercatus domestico. Qui Herebertus, ab abbate Ramefeix empto præfulatu, factus est Theodfordensis episcopus. Sed postmodum

postmodum pœnitentia ductus Romam profectus est, & Simoniacum baculum & anulum papæ resignavit. Veruntamen sedis apostolicæ indulgentia propiciante restitutus est, & deinde sedem suam ad Norvicum transtulit, ut prædictum est. Præterea idem Herebertus monachos Cluniacenses instituit.

Anno domini M.XCVI°. fundata est ecclesia Sancti Joannis Pag: 74: Coelcester.
Coelcestriæ ab Eudone dapifero.

Anno domini M.XCVIII°. inceptum est à fratribus quærentibus oportunam mansionem. Vox igitur desuper audita in Ordo Cisterciensis.
lingua illius patriæ, Cy este vous, hoc est, hic state, & ibi manserunt, & ecclesiam cum ædificiis construxerunt.

Anno domini M.CVI°. constitutus est ordo canonicorum in Suthwerk.
ecclesia Sanctæ Mariæ de Sowthwerke.

Eodem quoque anno Gundulfus, episcopus Rosensis, monasterium de Mallynges construxit, & in eodem sanctimoniales instituit. Mallynges.

Anno domini a M.CVII°. Normannus prior fundavit ecclesiam Christi Londini in religione. Ecclesia Christi Londini.

Anno domini MCIX°. abbatia Heliensis in sedem episcopalem commutatur per Henricum regem primum. Abbatia Heli in episcopatum commutatur.

Anno domini MCXIX°. incepit ordo templariorum.

Anno domini MCXXI°. rex Henricus primus monachos instituit apud Radinges, ut monasticum ordinem observarent sub regula Sancti Benedicti. Templarii. Rading.

Circa annum domini M^m.XC^m. monachi apud Dunelmum positi sunt tempore regis Willielmi Junioris. Dunelmum. Waverle. Fowntaynis. Riwalles.

Anno MCXXXII°. facta est abbatia de Waverle, & de Fontibus, & de Riwalles. Quarre: Stratford.

Anno domini MCXXXIII°. constructæ sunt abbatiæ de Quarerya, & de Cumbermer, & de Stratford, ordinis Cisterciensis. Ecclesia Rosensis: cum civitate combusta. Warden. Sartis.

Anno domini M.CXXXVIII°. ecclesia Rosensis combusta est cum omnibus officinis monachorum, & cum civitate Rosensi.

Eodem anno abbatiæ de Wardonia, alias de Sartis incipiuntur.

Anno MCXLI°. abbatia de Roggishale incipitur. Roggishale

Anno domini MCXLIII°. abbatia de Boxleia construitur à Willielmo de Ypre. Boxleia.

Anno domini MCXLVI°. facta est abbatia de Saltreia. Saltreia.

Anno domini MCXLVII°. rex Stephanus construxit abbatiam de Favresham, & possessionibus dotavit. Leyland. Forte pro anno domini MXLVII°. legendum anno MCXLVII°. Favresham.

Hoc anno ordo Præmonstratensis venit ad Alnewic, ubi primus abbas Baldewinus. Alnewic

Bellus locus.
Ordo fratrum Minorum.
Hospitale Sancti Joannis in Oxonia.
Hayles.

Anno domini MCCIII^o. abbatia Belli loci fundatur à rege Joanne.

Anno domini MCCVII^o. ordo fratrum Minorum incepit.

Anno MCCXXXIII^o. Henricus rex tertius nobile hospitale, quod domus Sancti Joannis dicitur, in Oxonia fundavit propriis sumptibus.

Anno domini MCCXLVI^o. comes Ricardus abbatiam quandam ordinis Cisterciensium, quod Hayles vocatur, non procul à Winchelcumbe competenter fundavit.

Pag. 75.
Malmesbiri.

Cœnobium de Malmesbiri initium sumpsit à quodam Meildulfo, natione (ut aiunt) Scoto, eruditione philosopho, professione monacho, adeo angustis sumptibus elaboratum, ut inhabitantes ægre quotidianum victum expedirent; sed postmodum per beatum Aldelmum & Sanctum Leutherium episcopum tempore Kenwalki, regis Westsaxonum, magnifice auctum, & possessionibus amplissimis ditatum est, circa annum domini DCXLVIII^o.

Templum dei in

Eodem tempore idem rex Kenewalkus primus antecessorum suorum templum deo per id seculi pulcherrimum construxit.

Glasconia.

Anno domini DCXXVII^o. Ina, rex Occidentalium Saxonum, abbatiam Glasconia construxit jamdudum destructam, & multis possessionibus ditatam privilegiorum suorum munimine roboravit.

Bathonia.

Monasterium Bathoniense fundavit rex Offa. Sed Eadgarus rex, sicut pleraque alia, more suo magnifice auxerat, delectatus loci amœnitate, & quod ibi coronam regni susceperat.

Ambresbiri.
Warwell.

Anno domini DCCCLXXIX^o. Ethelfrida, interfecitrix Sancti Eadwardi martyris, causa pœnitentiæ duo cœnobìa fundavit feminarum, videlicet Ambresbiri & Warwelle.

Abbendon.
[Ina.]

Abbendon cœnobium fundavit Cissa, pater Hyne; sed Elfredi tempore regis, cum barbarica ubique discursaret petulantia, ædificia loci, ad solum complanata. At vero rex Ethelredus loci miseratus solitudinem, simulque avi animæ consulens, cuncta restituit ablata per manum Athelwoldi, quem ibidem posuerat, tantumque Athelwoldus institit cœptis, ut fere ad finem perduceret. Sed per Eadgarum regem ad episcopatum Wintoniensem vocatus est, antequam summam manum rebus imponeret. Complevit magistri nomen & molimina Ordgarus ab eo in abbatiam substitutus. Regnavit autem Ethelredus rex, prædicti loci restaurator, anno domini DCCCLXVII^o.

Institutio monachorum ad ecclesiam Rosens;

Anno domini M.LXXXIII^o. Lanfrancus, archiepiscopus Cant. & Gundulfus, Rofen. episcopus, restituerunt monachos in ecclesiam Sancti Andreæ Rofecestria. Audierant enim hic quondam monachos fuisse. Unde ad antiqua statuta redeuntes,

tantes, monachorum ordinem statuere sanxerunt. Tempore ergo brevi elapsō ecclesia nova, veteri destructa incipitur. Officinarum ambitus convenienter disponitur. Opus omne intra paucos annos, Lanfranco pecunias subministrante multas, perficitur. Igitur perfectis omnibus, quidam tamen ex quinque clericis, qui hīc inventi fuerant, ad religionis habitum confluentes, associatis multis aliis, ad sexagenarium numerum & amplius in brevi sub doctrina patris Gundulphi subcrevere monachi. Quem numerum Gilbertus de Glanvilla, istius loci episcopus, minuit, cujus memoria minuitur in recensione Rosensium pontificum, & in li. vitæ.

Ex fine libri i. Gulielmi à Maildulphi curia de reg. Pag. 76.

Dominabantur ergo reges Cantuaritarum proprie in Cantia, in qua sunt hii episcopatus, archiepiscopatus Cantuar. episcopatus Rosensis.

Reges Westsaxonum dominabantur in Wiltesire, Bercensi, & Dorsetensi pagis, quibus est episcopus unus, cujus est modo sedes Salesbiria; quondam erat Ramesbiria, vel Sireburna.

Et in Suthsaxa, quæ aliquanto tempore proprium habuit regem; eratque sedes episcopalis ejus pagi antiquitus in Selesio, quæ est insula circumflua ponto, ut Beda narrat. Ubi etiam beatus Wilfridus monasterium construxit. Nunc habitat episcopus apud Cicestram.

Et in pagis Suthhamtunensi & Suthreienfi, quibus est episcopus, qui habet sedem Wintonia.

Et in pago Sumersetensi, qui habebat olim apud Wellas episcopum, qui nunc est Bathonia.

Et in Domonia, quæ Devenesire dicitur, & in Cornubia, quæ nunc Cornu-Gallia dicitur. Erantque tunc duo episcopatus, unus in Cridintune, alter apud Sanctum Germanum. Nunc est unus, & est sedes ejus Exonia.

Porro reges Merciorum dominabantur pagis hiiis; Glocestrenfi, Wigornensi, Warwicensi. In hiiis episcopus est unus, cujus sedes est Wigornia.

Et in Cestrenfi, & in Derbenfi, & Statfordensi. In his est episcopus, & habet partem Warwicensis & Srobesbiriensis pagi, & est sedes apud civitatem Legionum, vel Coventriam; quondam erat Lichefeld.

Et in Herefordensi, habeturque ibi episcopus, habens dimidium pagum Shrobesbiria, & partem Warwicensis, a Glocestria, possidens sedem in Herefordo.

Et in Oxenefordensi, Bucchingensi, Hurchfordensi, Huntendunensi dimidia; Dimidia Bedefordensi, Northamtunensi,

a L. & Glocestrensis.

Legecestrensi, Lincolniensi, quos regit episcopus qui modo habet sedem Lincolniæ, quondam habebat apud Dorkecestram.

Et in Legecestrensi, Snotingensi, quorum Christianitas ad archiepiscopum Eboracensem spectat. Habebaturque ibi olim proprius episcopus, cujus sedes erat apud Legecestram.

Reges Orientalium Anglorum dominabantur in pago Grantbrigensi, & est ibi episcopus cujus sedes est apud Hely.

Et in Norfolke & Suthfolke, & est ibi episcopus, cujus sedes est apud Northwich, quondam erat apud Helmam vel Theoford.

Pag. 77. Reges Orientalium Saxonum dominabantur in Eastfava, & dimidia Hurthfordensi, ibi & habetur episcopus Londoniensis.

Reges Northanimbrorum dominabantur in omni regione quæ est ultra Humbram fluvium usque ad Scotiam, erantque archiepiscopatus Eboracensis, episcopus Haugustaldensis, & Ripensis, Lindisfarnensis, de Candida casa. Haugustaldensis & Ripensis descenderunt, Lindisfarnensis translatus est in Dunhelmum.

Et paulo post scribit :

Sed has omnes regnorum varietates Egbyrthus animi magnitudine compescuit, & ea uni conquadans imperio ad uniforme dominium, servans unicuique proprias leges, ^a notavit.

Pag. 78, 79, 80. vacant.

Pag. 81. *Hæc quæ sequuntur desunt in historiæ calce, quam Beda scripsit.*

Et Orchadas quoque insulas Romano adjecit imperio. Anno dominicæ incarnationis centesimo sexagesimo septimo Eleutherius Romæ præsul factus, quindecim annis ecclesiam gloriosissime rexit, cui rex Britannia Lucius literas mittens, ut Christianus efficeretur petiit, & impetravit. Anno ab incarnatione domini centesimo octogesimo nono Severus imperator factus decem & septem annis regnavit, qui Britanniam vallo à mari usque ad mare præcinxit. Anno trecentesimo octogesimo primo Maximus in Britannia creatus imperator in Galliam transiit, & Gratianum interfecit. Anno quadringentesimo nono Roma à Gothis capta est, ex quo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt. Anno quadringentesimo tricesimo Palladius ad Scottos, in Christum credentes, à Celestino papa primus mittitur episcopus. Anno quadringentesimo quadragesimo nono Martianus cum Valentiniano imperium suscipiens septem annis tenuit, quorum tempore Angli à Britonibus accersiti Britanniam adierunt. Anno quingentesimo tricesimo octavo eclypsis facta est solis XIII. Calendas Martii ab hora prima usque ad tertiam. Anno quingentesimo quadragesimo septimo Ida regnare cœpit à

^a *Rollius*, vocavit, ut in *Ed. Savil.*

quo regalis Northanubrorum profapia originem tenet, & duodecim annis regnavit. Anno quingentesimo sexagesimo quinto Columba presbyter de Scotia venit Britanniam ad docendos Pictos, & in insula Hu monasterium fecit. Anno quingentesimo nonagesimo sexto Gregorius papa misit Britanniam Augustinum cum monachis qui verbum dei omni genti Anglorum annuntiarent. Anno quingentesimo nonagesimo septimo venere Britanniam præfati doctores, qui fuit annus plus minus annorum centum quinquaginta adventus Anglorum in Britanniam. Anno sexcentesimo primo misit papa Gregorius Britanniam pallium Augustino jam facto episcopo, & plures verbi ministros, in quibus & Paulinum. Anno sexcentesimo tertio pugnatum est ad Deganstane. Anno sexcentesimo quarto orientales Saxones fidem Christi percipiunt sub rege Saberto, antistite Mellito. Anno sexcentesimo quinto Gregorius papa obiit. Anno sexcentesimo sextodecimo Ethelbertus, rex Cantuariorum, defunctus est. Anno sexcentesimo vicesimo quinto Paulinus à Justo archiepiscopo ordinatur genti Northanubrorum antistes. Anno sexcentesimo xxvi. Eanfleda, filia Eadwini regis, baptizata est cum duodecim in festo Penthecostes. Anno sexcentesimo vicesimo septimo Eadwinus rex baptizatus est cum sua gente in Pascha. Anno sexcentesimo xxxiii°. Eadwino rege perempto, Paulinus Cantiam rediit. Anno sexcentesimo quadragesimo Eadbaldus, rex Cantuariorum, obiit. Anno sexcentesimo quadragesimo secundo Oswaldus rex occisus est. Anno sexcentesimo xliiii. Paulinus quondam Eboraci, sed nunc Rosensis antistes migravit ad dominum.

Pag. 82, 83. vacant.

Epilogium de obitu Bedæ.

